

1. Quae superius de una substantia Patris et Filii narravimus, contra haeresin quamdam procedunt vel patripassianam vel sabellianam vel demum arianam. Sed iam antea apud Iustinum aliosque apologetas ita colebatur divina transcendentia, nominibus maxime negativis expressa, ut oriretur gravior dilemma in Filio Dei concipiendo. Ubi enim Filius a Patre distinguitur, ibi a Deo transcendente distingui videntur; quatenus e contra divinitas Filii vindicatur, eiusdem a Patre distinctio minui vel tolli videtur.

298

3035

2. Quae qualis sit etiam hic breviter recoli oportet. Tria ergo distinguas velim: (1) ipsa immediata conscientiae data e quibus analogia psychologica repetitur; (2) eorundem datorum expressionem praecisiva<sup>m</sup> et technicam; (3) eorundem datorum expressionem communem quae scilicet haec data supponit ex iisque procedit sed ea et tota et sola non dicit.

Porro, ut immediata conscientiae data invenias, ipse te consideres necesse est. Quaeras ergo tu a te utrum unquam in vita hoc expertus sis: verum dicere propter perspectam evidentiam. Quam sane experientiam si habueris et affirmabis, eandem iterum nunc habes cum verum dicas propter evidentiam perspectam. Sin vero non habueris et negabis, saltem nunc ad aetatem rationis pervenis: nam si vere negas, propter perspectam evidentiam negas; quod cum facias, ipse tuam rationalitatem experiris, quae nihil aliud est quam ideo iudicare quia sufficientem evidentiam perspicias.

Sed ulterius ipse a te iterum quaeras velim utrum unquam in vita hoc expertus sis: honeste eligere propter agnitam obligationem moralem. Verbi causa, nonne veracitatem agnoscis obligatoriam? nonne aliquando propter agnitam veracitatis obligationem veraciter locutus es? Si affirmare potes, datum conscientiae immediatum quod intendimus invenisti. Sin autem negas, nonne nunc saltem veraciter loqueris?

Praeterea, sicut eadem de contrariis est scientia, ita similis quodammodo de contrariis est conscientia. Qui se expertus est propter et secundum evidentiam perspectam iudicare, idem forte se expertus est interdum praeter vel contra perspectam evidentiam temere iudicare; quae quidem perversio mentis ad extremum producta nihil aliud est quam excaecatio. Et similiter qui se expertus est propter agnitam obligationem honeste eligere, idem forte se expertus est interdum contra obligationem eamque agnitam eligere; quae voluntatis perversio ad extremum producta nihil aliud est quam cordis obduratio.